

DISSERTATIO
INAUGURALIS MEDICA
DE
C R E O S O T O

QUAM
CONSENSU
MAGNIFICI DOMINI PRAESIDIS,
SPECTABILIS DOMINI DECANI,
NECNON
CLARISSIMORUM DOMINORUM PROFESSORUM
IN REGIA SCIENTIARUM UNIVERSITATE HUNGARA

A D
RITE CONSEQUENDUM
MEDICINAE DOCTORIS GRADUM

SUBMITTIT
PUELICAE DISQUISITIONI ERUDITORUM

FRANCISCUS HORETKY,

HUNGARUS
REGIOMONTANO BARSIIENSIS.

Theses adnexae defendentur in Universitatis Palatio
majore die Maji 1834.

PESTHINI,
TYPIS JOSEPHI BEIMEL.

DILECTISSIMO FRATRI
ALOYSIO HORETZKY,
PRESBYTERO ARCHI-DIOECESEOS STRIGONIENSIS
IN
TESSERAM VERI AMORIS FRATERNI
HAS PAGINAS SACRAS ESSE VULT.



Auctor.

Igni vulgari, cui originem suam debet, coevum Creosotum, partem constitutivam fumi, cedriae, et acidi pyrolignosi, ut plurimum constituit. Recentissimo aevo assidua observatione, indefessoque conatu C. Dr. Car. Reichenbach, cujus merita destillationis siccae corporum organicorum condignis palam celebrantur encomiis, in paginis publicis, eductum, ex acido pyrooleoso, Creosotum, qua chemice purum Collegio Naturae Scrutatorum in Congregatione Vindobonae Anno 1832 celebrata, in Sectione ejusdem Physico-Chemica epicrisi publicae propositum, in acceptis habemus *) C. Inventor novam hanc substantiam defectam ob effectum, quem cum carne producit, Creosotum, α κρεας, g. κρεατος, v. κρεος caro, et σωζω conservo, ergo carnem conservans, denominavit. Destillatio sicca corporum organicorum diversas substantias empyreumaticas, colorantes, acidas, oleosas, atque humo (Möder) non absimiles largitur; et pro diversitate corporum adhibitorum jam acidum praecipue acetikum e regno vegetabili, jam alcali imprimis ammonia e regno animali eminet. Ast insuper C. Reichenbach Picamar, Paraffin, Eupion, et Creosotum, cum praefatis, ratione multiplici nexum, reperiit; ultimi horum, parandi modum, ad mentem Inventoris **) sequentem nactus sum.

Creosotum, ut plurimum, obtinetur ex acido pyrolignoso, et pice liquida, quamvis vix non in omnibus substantiis empyreumaticis, et igne productis,

*) Bericht über die Versammlung deutscher Naturforscher und Aerzte in Wien im September 1832, v. Freiherrn v. Jacquin und J. S. Littré. Pag. 86.

**) Das Kreosot, ein neu entdeckter Bestandtheil des gemeinen Rauches, des Holzessigs und aller Arten von Theer v. Dr. C. Reichenbach. Halle bei Eduard Antou 1833.

contineatur. Acidum pyroglinosum, praecipue e ligno fagi, paratum, incalescendo ad 70—80° C. eique successive, fatiscencia in pulverem collapsi Salis mirabilis Glauberi tantum injiciendo, quantum solvere valeat; sub agitatione continua aceto pyr. Sale m. gl. perfecte saturato, brevi quiete largus liquor brunescens, oleosus in superficiem elevatur, et calens adhuc, sine mora excipi debet, ne pondere suo in subjacentem solutionem spissam, in formationem crystallorum nitentem, dehiscendo, laborem irritum reddat. Oleum sic isolatum, circiter $\frac{5}{100}$ adhibiti acidi pyr. efficiens, quieti per paucas dies expositum, in superficie parum acidi acetici, quod caute defundi debet, excernit, et crystallos copiosas salis m. gl. deponit; a quibus transmissione per linteum mundum liberatur. Oleum hoc multas adhuc peregrinas substantias tenet, imprimis acidum aceticum, et per hoc adhaerentes materias colorantes; quare, ut ab iis liberetur, ei sub iterata incalescentia, diligenti, et constante motu Kali carbonici ad cessationem effervescentiae usque, imponitur; generatum lixivium salinum e solutione eliminatur, oleum ipsum vero nunc spissius redditum cum aqua destillationi subjicitur debita cum cautela. Obtentum destillatum sistit oleum pellucidum, palide flavescens, ad accessum aëris colorem fuscum, et opacitatem contrahens. Ut praesens in hocce oleo ammonia, aut adhaerentia acida mitiora abigantur, destillatum iteratis vicibus sub forti agitatione cum acido phosphorico miscetur, et aqua diligenter, donec adhuc vestigium acidi liberi se manifestet, abluatur. Purgatum sic oleum cum anatica quantitate acidi phosphorici diluti destillatur, ea cum cautela, ut collecta excipulo aqua iteratim in retortam refundatur eousque, donec oleum aqua specifica gravius non evaserit, atque infra aquam colligatur. Exemptum hac ratione generatum oleum, necdum a peregrinis liberum solvitur in lixivio Kali caustici 1, 12 g. s. Solutio haec initio lactescit, dein vero eliberando liquorem oleosum, (Eupion cum paucis Creosoto constituentem) in superficiem, clarificatur, et pelluciditatem suam iterum recuperat. E liquore hocce oleoso Creosotum iterata solutione in lixivio Kali cau-

stici obtineri potest, secus eliminatur, et residua solutio in aperta phiala igni exponitur, lenteque deducitur ad ebullitionem, quo facto novum phaenomenon conspicitur, utpote: solutio, antea decolor, subito, avide attracto atmosphaerae oxygenio fuscescit, turbidaque redditur, quod dependet a principio huc dum ignoto erga oxygenium summe affini, per Kali causticum adjuvante calore eliberato. E mixto hocce coloris atro fusci facto Kali causticum per additum acidum sulfuricum quantitate sufficienti detrahitur, et residuum a principio pro parte jam oxydato destillatione, non tamen usque siccum continuata. separatur. Cum tamen principium praefatum pertinaciter Creosoto adhaereat, solutio hujus in Kali caustico, incalescentia, reductio per acidum sulphuricum, et destillatio eousque continuatur, donec obtentum oleum cum Kali caustico adhuc fuscescat. Fuscatio haec lente immittitur, ac tandem pulchro pallido rubori locum cedit, quo viso Kali causticum manu largiori additur, ita, ut solutio alkaline reagat, et destillationi subjicitur, sub qua cuncta peregrina Creosoto adhuc fors adhaerentia detrahuntur, et Creosotum nonnisi aquae junctum in excipulum transit. Ut haec quoque avelatur, sine additamento iteratae destillationi subjicitur, ignem caute regendo, ne calor ultra ebullitionem aquae augeatur, ubi nulla amplius vestigia bullarum aquae supra oleum natantium conspiciuntur, et transitus aquae, qui antea copiosus conspiciebatur sensim imminutus nunc perfecte cessasset. Aqua excipulo obtenta reponenda sub nomine Aquae Creosoti, in diversos usus convertenda. Excipulo novo adposito temperatura aucta 203° C. Creosotum sat larga quantitate obtinetur; destillatio tamen non est ad siccum continuanda, secus ejus decompositione inquinatio causaretur.

Ex pice aut potius resina pini empyreumatica liquida cujus Uncia semis Creosoti 48 gr. tenet, Creosotum paratur *) destillando picem liquidam usque residuum picis navalis s. sutoriae,

*) Annalen der Physik und Chemi v. Poggendorf. 28 Band, 1 Hft. Allgemeine medizinische Zeitung. 1834. n. 66. pag. 1047.

sed nec ultra, ne incarbonisatione productis empyreumaticis destillatum inquinetur. Si caute opus peragatur, accidit, ut oleum sponte in excipulo in duo strata, intermedio humore aquoso, abeat: stratum inferius eximitur; caetera orba Creosoto eliminantur; verum si separatio non succederet, tunc obtentum oleum lentissime subjicitur destillationi, attendendo ad destillati grav. spec., quam diu aquae supernatet, qua Eupion tenens effunditur; ut primum destillatum aqua gravius redditur, aucta temperatura colligitur Creosotum; comparentibus attamen circa finem destillationis nebulis alboflavicantibus, gravibus Paraffin indicantibus, destillationi finis imponitur. Oleum obtentum Carbonate Kali ad cessationem effervescentiae impregnatur, defusum ab acetate Kali exorto destillationi subjicitur, cunctique prius adducti labores ad parationem Creosoti puri usque peraguntur.

Creosotum, undecunque paratum, sistit corpus liquidum guttans, decolor, hyalinum; memorabilis ejus in refractione, et dispersione lucis virtus, iritatione sulfuretum carbonis s. Alcohol Sulfuris superat. Odoris est penetrantis, inamoeni, peculiariter proprii (revera empyreumatici) non tamen foetentis, pro parte castoreo similis, corporibus aliis facile et pertinaciter adhaerentis. Saporis urentis, et rodentis, in lingua purum laesionem producit, saliva tamen copiosa solum mutatur in saporem pinguem, subdulcem. Tangitur olei amygdalarum instar, calore attenuatur. Specificae gravitatis ad Bar. 0,722^m et Ther. +20° C. erat = 1037. Potentiae capillaritatis 53 ad Aquae 100. Bullit +203° C. et -27° C. nondum gelat, imo perfectam fluidatem manifestat. In vitro cylindrico a +20° C. usque +203° C. sexies volumine augetur. Chartam inquinat maculis pinguis, pauca post horas sine vestigio disparentibus. Gutta superposita laminae vitreae per aliquot dies perfecte evaporat. Electricitatem non conducit.

Creosoti partes constitutivae remotae sunt *)
 7 Carbonii = 42 + 4, 5. (juxta Berzelium 9.) Hydrogenii = 4, 5. + 1. Oxygenii = 8, ergo summa = 54, 5.

*) Pharmacie v. Geiger. P. I. p. 820.

Gmelin, 691,219 Berzelius. Liebig declarat posse considerari, qua Hydratem Bicarbonydrureti (Doppelt Kohlenwasserstoff) seu constare proximius 1. Atomo Aquae, $3\frac{1}{2}$ Atomis Hydrogenii, et 7 Atomis Carbonii.

Aquae duplici proportione nectitur: $1\frac{1}{2}$ Creosoti cum 100 Aquae (seu grana tria in Lotone aquae!) ergo solutio Creosoti in Aqua, et 10 Aquae in 100 Creosoti solutio Aquae in Creosoto. Prior nomine Aquae Creosoti, eodem modo sed mitius, ac purum reagit. Creosotum 10,000 vicibus dilutum notabilem adhuc sensum in lingua cum odore fumi producit. Curcuma, et Lacmus nec solutionibus praelibatis, nec Creosoto ipso mutantur; quare Creosotum nec alkaline, nec acide reagit, sed sistit corpus indifferens, utrumque tamen polum versus copiosa conubia init, et sic suam amphoteram, proteiqueformem naturam manifestam reddit. *) Erga oxygenium debilem solum manifestat affinitatem, candenti ferro in communi temperatura non accenditur; altiori temperaturae in cochleari platineo expositum cum vehementia accenditur, et conflagrat sine residuo relicto; ad elychnium prompte ardet eructando copiosum fumum. Aeri, et radiis solaribus expositum etiam per septimanas non mutatur; ad ebullitionem deductum nonnisi post longiorem moram roseum, dein rubicundum contrahit colorem. Cum oxydo plumbi, hyperoxido mangani sine mutatione coquitur; oxydum tamen hydrargyri coctione reducit, eliberatoque mercurio ipsum fuscescit, et si durante coctione oxydum hydrargyri rubrum continuo adhuc adderetur, abiret in substantiam solidam resinosa, nullum amplius Creosotum continentem. Vapores chlorii absorpti pro parte decomponunt Creosotum; Bromium, Jodium, Phosphorus in eo solubiles sunt, prout Sulfur, quod tamen refrigerio majori pro parte praecipitatur. Selenium difficulter in Creosoto solvitur.

Creosotum cum corporibus electronegativis sequentia exhibuit phaenomena. Acidum sul-

*) Haec opinio vulgaris est; at reactione ejusdem judiciose illustrata luculenter apparet ejus unio neutralisans cum alkalibus, et hinc natura acida.

phuricum chemice purum Creosotum parva quantitate additum perfecte decomponit, tingendo solutionem atro colore, in majori quantitate Creosoti acidum sulphuricum decomponitur ita, ut destillatione sulphur purum largiatur, Creosotumque rosei evadat coloris. Acidum nitricum parva quantitate Creosoto instillatum cum vehementia decomponitur, emittendo vapores rubros; ipsum vero tingitur rubro flavicante colore. Si vero gutta acidi nitrici fumantis immittatur in Creosotum, haec cum vehementia explosionis suscipitur; vapores emittendo, coloremque atro fuscum causando; Creosoti gutta acido praecedenti imissa, cum vehementi ejusdem dispersione nectitur; si vero anatica quantitate nectantur, vehemens oboritur dispersio vaporum rutilantium. Sub vehementi spontanea incalescentia suscipitur, et acidum Mangani, et Molybdeni. Acidi phosphorici 1135 g. s. 30 partes suscipiunt Creosoti partem unam et vice versa. Solubilia in Creosoto sunt acidum vini, oxalicum et malicum. Acidum aceticum magna ducitur affinitate erga Creosotum, cum quo et jam in natura junctum observatur, et arte omni proportione jungi potest. Acida crystallisata, quae calore juvante copiose solvantur, et refrigerio vix non perfecte praecipitantur, sunt; Acidum boracicum, Gallarum, Botrorum, Succini et citricum; quae soluta non praecipitantur: Acidum margaricum, olaicum, et stearinum, idem Benzoicum. Non solubilia nec juvante calore: Acidum uricum, subericum, mellilithicum, et Wolframii. Acidum Hydrochloricum Creosotum exigua solum quantitate solvit, et refrigerio iterum dimittit, aliquantum plus suscipit A. hydroiodicum.

E corporibus electropositivis est praecipue Kali periculo subjectum. Kalium Creosoto puro impositum, sub phaenomeno bullarum ascendentium, lente albam pelliculam contrahendo oxydatur, et qua Kali successive evanescendo solvitur; solutionem, quantitate sufficiente adhibitum, evoluta spontanea incalescentia, adeo inspissat, ut filorum instar ductilis evadat. Kali hydratum siccum Creosoto illatum, pro parte, ut superius, Creosoto nectitur, et nanciscitur formam olei spissioris, dum pars alia in fundo haerens apuae instar fluida remanet. Ka-

li affinitate, et in aquam, et in Creosotum ducitur: hinc pars aquam dimittit, et cum Creosoto se nectit; aquam eliberatam alia pars attrahit, et cum paucis Creosoto in eadem solvitur; haec fundum, illa superficiem tenet. Praegressa saturatione caloris adminiculo, et oleosa, et aquosa pars repletur crystallis albis, splendentibus, calore diffluentibus aqua solubilibus, etc. Patet ex his Creosotum cum Kali conubium triplex inire, utpote: in statu puro absque aqua solutionem spissam formando, accedente pauca aqua crystallos efformando, ac tandem has larga solvendo aqua. Solutio anhydra impedito aëris accessu decolor manet, accessu aëris libero fusco flavum contrahit colorem, qui calore atro fuscus fit. Solutio aquosa citius mutatur. Coloris mutatio videtur dependere a decompositione Creosoti per oxygenium. Kali e conubio cum Creosoto acidis, optime sulphurico, detrahitur. Eadem ratione agit et Natrium, ea solum cum differentia, quod larga quantitate additum evolutionem caloris spontanei vehementiorem producat, et refrigerio consistentiam saponis medicinalis aquirat. Ammonium Creosoto facile solvitur, et ubi Creosotum ex substantiis animalibus paratur, est ejus inevitabilis comes.

Plures sales neutri solubiles sunt in Creosoto, qui refrigerio praecipitati crystallantur: Acetas plumbi, zinci, cupri, argenti, kali, et natri. Acetas hydrargyri solvitur, sed calore reducitur. Acetas Ammoniae copiose solvitur. Nec frigide nec calide solvuntur: Acetas Calcis, Barytae, et Strontianae. Sales aquam crystallisationis prius dimittentes, dein calore in Creosoto solubiles, refrigerio praecipitationem admittentes sunt: Murias Zinci, Hydrargyri, et calcis. Nitrus argenti frigide in Creosoto copiose solvitur, sed calore argentum purum reducitur. Succinas ammoniae nonnisi sub coctione solvitur, sulfas chinini, et frigide solvitur etc.

Memorabilia Creosoti nisus in formandos sales duplices. Si solutioni Kalinae Creosoti acidum sulfuricum successive instilletur sub continuo motu, animadvertetur momentum, sub quo solutio perfecte neutralis evadit, et oleum non eliberatur, verum

crystalli copiosae formantur, similes crystallis jam superius adductis, et nisi largiori copia instillando acidum resolutis crystallis oleum in superficie comparet. Crystalli vero hae dupplici sale constant, nempe: Kalino lixivio Creosoti additum acidum sulfuricum generat sulfatem kali, qui cum Creosoto lixiviae in salem duplicem crystallisabilem nequitur, et nisi perfecte detracto per acidum sulfuricum kali Creosotum in conspectum venire potest.

Creosotum cum organicis corporibus tentamini subjectum diversa exhibuit resultata. Praeter acida, quorum mentio superius facta est, Alcohol solvit Creosotum, addita tamen aqua partialem causat praecipitationem; Aethere omni suscipitur proportione. Eupion Creosotum per omnes labores chemicos persequitur, ejus tamen separatio majori pro parte succedit, solutione Creosoti in lixivio kalino, et reductione per acidum sulphuricum; superabundans copia odore florum (?) — cognoscitur. Petroleum, et Aether aceticus omni proportione solvitur. Asphaltum, et Succinum sistit solutionem bruneam; idem produxit humus subcoctione. Paraffin, qua comes originis, in Creosoto puro non solvitur, Eupion inter haec duo corpora intermediatorem agit, ita, ut quo plus de eo contineatur, eo majori copia Paraffin solvitur in Creosoto. Resinae omnes jam plus, jam minus in Creosoto solubiles, substantiae colorantes, et in depressa temperatura suscipiuntur, Balsama sine relatione solubilia. Caoutschuc etiam longiore tempore in Creosoto haerens nulla ratione mutatur. Cholesterina, ut et Cholelithi frigide solvuntur, Stearina frigide non, calide soluta refrigerio crystallos largitur. Olea pingua, et aetherea solvuntur, et calide, et frigide. Camphora frigide jam solvitur; in calore suscipitur sat celeriter ejus-tripla quantitas, refrigerio solutio evadit spissa, et opalisat. Piperina in calore copiose solvitur; pari modo, et Pikrotoxina, et Salicina. Alcaloidea plantarum in depressa jam temperatura solvuntur, uti: Cinchonina, Narcotina, Bruncia etc. Saccharum canthum, saccharum lactis, Gummi mimosae, et Gummi prunorum in statu solido Creosotum non mutat. Ad solutiones aquosas Gummi mimosae, et prunorum additum Creoso-

tum turbat, producendo lente praecipitatum album. Ichtyocollae, et mucy cydoniorum solutionem nullatenus turbat. Si solutio aquosa albuminis ovorum gallinaceorum cum aqua Creosoti in contactum ponatur, producuntur flocci membranacei lente fundum petentes, albumine coagulato constantes; si Creosoti gutte immittatur albumini liquido puro, momentanea causatur coagulatio.

Caro bubula Creosoti aquae imposita facultate putrescendi orbat, calori etiam aestivo, et aquae recenti saepius madefacienti, exposita nullam putredinem contrahit; imo vero spatio 8 dierum perfecte exsiccatur, evadit dura, fragilis, odoris carnis fumatae, coloris rubrofuscia et luci opposita transparent. Ipsa putredine correpta caro, copiosis obsita vermibus, aqua Creosoti fomentata ultroneae resistit putredini, retento tamen odore foetente. Modo eodem tractata caro piscium idem resultatam dedit. Ut penitus Creosoti activitas in carne cognosceretur, sanguis quoque iisdem utique partibus constitutivis compositus (aliquibus caro liquida) fentamini subjectus sequentia exhibuit resultatam. In sero caute a placenta separato aqua Creosoti successive, Creosotum vero purum statim praecipitationem albuminis coagulati forma floccorum alborum comparentem produxit. Placenta pro se Creosoti aquae imposita eam successive turbidam reddidit, solaque pallidior, ac tandem coriacea evasit. Si aqua, quae cruorem placentaenae penitus detrahit, ut placenta transparent, alba unice fibrina constans remanserit, in contactum veniat cum Creosoto, post paucas horas turbida fit, aliquot diebus elapsis deponit sedimentum rubro albidum. Fibrina sero, et cruore orba nullam amplius a Creosoto mutationem experitur. Cum vero jam dudum experientia constet, albumen coagulatum non minus, ac fibram animale resistere putredini, facilem explicatum admittet phaenomenon, quod Creosoto caro imbuta nobis offert. Creosotum jungitur albumini, et cruori producendo perfectum coagulum putredini resistens, hoc interstitiis filamentosis fibrinae, Creosoto non mutatae, putredini utique incapacis, retentum una cum fibrina exsiccatur. Gelatina, osmazomum, etc. sic-

catione lente progrediente ruunt in fermentationem acidam, ipso se odore manifestantem, subito vero exsiccata, prioribus junguntur, duritiem eorum, et speciem transparentem augentes.

Aqua Creosoti plantae perfusae debilitantur, flaccescunt, et emoriuntur. Parva insecta, ut: muscae, scarabei, et alia illinita Creosoto redduntur inquieta, et lente pereunt. Pisces Creosoti aquae imissi vehementi dolore aguntur in motum spasmodicum successive rigescunt, et vita spoliantur (actio ipsius acidi pyrolignosi). In animalibus ordinis altioris experimenta hucdum instituta non sunt. Gutta Creosoti cuti humanae superposita, et post minutum aqua abluta, sui vestigium album relinquit, quod paulo asperum evadit, et desquamationse epidermidis absque dolore ab solvitur. Linguae applicatum causat ardentem dolorem, qui maximum dicitur consequi gradum, si incaute oculo inferatur, quod comprobatur actione fumi in oculos.

Quamvis e praecedentibus vehemens actio Creosoti denegari non possit, considerando tamen multa e penu medicamentorum Creosotum manifeste tenere, et eo non obstante optimo cum successu in perditae valetudinis restitutionem e consilio medici saepissime in usum vocari; non possumus non agnoscere meritum recentissimorum Pharmacologorum, qui substantiam hanc dudum jam medicatricem, sed ignotam, et nonnisi recentissime inventam inter pharmaca susceperunt *), et juste. Quantis non laudibus superbit oleum animale Dippelii, aut acidum pyrolignosum, reticendo alia: hoc ut ex praesenti dissertatione patet. constat praeter substantias empireumaticas acido acetico, et Creosoto; illud majori pro parte componitur ammonia, et Creosoto. Paucos ante annos Dr. Runge Collegio Naturae Scrutatorum Hamburgi actionem medendi Aquae Empyreumaticae explanavit, et impense recommendavit, quae aceto pyrolignoso cretam injiciendo ad cessationem effervescentiae, et liquorem ad dimidium destillando parata, non

*) Systematische Arzneimittellehre v. G. W. Schwarze Zweite Auflage. Leipzig 1833. Nachtrag.

aliud, quam Creosoti aquam impuram, et peregrinis inquinatam exhibet, laudaturque in ulceribus impuriis, carcinomatosis. Hinc non mirum, quod medici humani tentamini vires medicas Creosoti subjecerint, et nunc jam non sine solatio multos casus hoc remedio sanatorum morborum publico communicarunt. Sic Prof. Dr. Reich *) refrigerio contractum rheumatismum, in proprio corpore felicissimo cum successu impugnavit Creosoto ita, ut nec minime labore interrupto, sanitati pristinae per 9 dies restitueretur. Matrona quaedam 27 annorum, cujus frater in phtisi obiit, crebrioribus partibus, accedentibusque diversis inamoenis influxibus in morbum incidit, et in phtiseos stadio colliquationis, se sudore viscido, nil alleviante, diarrhoea profusa, sputis foetidis matutinis etc. manifestante, medici consilium expetiit, qui cunctis rite perspectis interne Creosotum porrexit, nec sine solatio, deletis cunctis ominosis symptomatibus, se aegram ex orci faucibus, eripuisse candide fatetur. Non absimili modo per dies quatuor Rheumatismum acutum in Domina 40 an. cedere coegit Creosotum. Phula Creosoto imbuta, et denti cavo imposita dolores atroces, nullis obediens remediis, fulminis instar delevit. Juvenis domina Epulide laborabat, e medici consilio collutorio VIII Un. Aquae Creosoti, et VIII gut. Aetheris sulfurici constante per paucas dies usa perfecte sanata est. Femina fluore albo syphilitico laborans, injectionibus purae Aquae Creosoti ter quater per diem adhibitis, et interne Balsamo copaivae valetudinem praeteritam recuperavit. — Dr. Tschepke narrat **) , mulierem ab annis rheumatismo inveterato afflictam, qui jam unam jam aliam partem corporis, imo encephalon invadere solebat, sanitatem diu anhelatam externa Creosoti applicatione recuperasse. Bono cum effectu Creosotum adhibitum fuit etiam in Chlorosi, in diversis Exantematibus, et Efflorescentiis cutaneis. — Dr. Kneizel e consilio Dr. Rust ad odontalgicos dolores sopiendos

*) Journal der praktischen Heilkunde. Herausgegeben v. G. W. Hufeland, et E. Osann. 1834. Berlin Tom 17. pag. 79.

**) Medicinische Zeitung. 3 Jahrgang. Berlin N. 13. pag. 59.

adhibuit gossypio exceptum Creosotum effectu optatissimo. C. Schmidt Aquae Binelli virtutem stipticam a Creosoto, quod ad ejus partes constituentes plus quam verosimile pertinere asserit, repetit. *) In emolitione ventriculi, diarrhoea, et similibus Creosoti usus internus svadetur **) Externe laudatur in carie, sphacello, carcinomate etc: Impura ulcera, et gangrenescentia Creosoto mirum in modum purgari, et in optatissimam deduci granulationem ipsemet crebram videndi occasionem habui.

Forma, qua aegris Creosotum porrigitur, est solutio in aqua, vel emulsio amygdalina, addito aliquo syrupo; haec tamen minus bene fertur ob odorem inamoenum. Hinc a plurimis forma pilulari praescribitur. C. Dr. Reich sequenti formula usus est.

Rp. Creosoti Dr. Unam
 Succ. Glycyrrhyzae
 Gum. Galbani aa Dr. semis
 Pulv. Rad. althaeae Dr. duas
 m. f. l. a. pil. N. 120.
 Sig. Quater per diem
 pil. N. VI.

Dosis nychthemera inter gr. V—XX versatur: haec pro ratione circumstantiarum in quatuor, sex, octo partes dividenda.

Creosotum ut vivos contra mortem, sic mortuos contra plenariam annihilationem (Verwesung) defendit. Cum utilitate hoc respectu adhibetur, ubi cadaver proclive nimis in putredinem, aut putredine jam correptum, usu recepta consuetudine publico conspectui exponi sine adstantium molestia, imo saepe noxa, non posset. Optime tali occasione Creosoti aqua cadaver abluendum, parsque ejus ori, et naribus infundenda, quo facto putredo inhibetur. Aegyptios hoc novisse testatur Plinius, quia in mumiarum confectione utebantur, lotionem acidi pyrolignosi, fumo resinarum, et illinitionem balsamorum. Contentum in prioribus Creosotum certe ad mumificationem contulit.

*) Jahrbücher der in- und ausländ. gesammten Medicin v. Crist. Schmidt I. Jahrgang. 1834. Band 1 Heft 3. Dissertationg. de aquae Binelli et Creosoti virtute stiptica.

**) Reichenbach in Schweigger — Seidel Journal. B. 68. s. 57. n. 399 ff.

T h e s e s .

1.

In manu Medici nullum venenum.

2.

Narcoticorum actio non positiva, verum negativa.

3.

Irritum conamen uteri praviditatem molientis, consistit in fluxu menstruo.

4.

Hirudines venae sectioni non possunt substitui.

5.

Certe Creosotum, Aegyptiorum mumificans principium erat.

6.

Saepe natura morbum, et methodum mendendi perversam vincit.

7.

Mors vera physice considerata in natura non datur.

8.

Diaeteticis intenti regulis medici in praxi felicissimi.

9.

Extirpatio canceri tantum palliativum sistit remedium.
